



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum XVIII. Significâsti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

**N**Otandum unicum. Jus Patronatus per se emi, sive aliter pro re temporali comparari non potest, adeo ut talis contractus ipso jure irritus sit, uti etiam docui in c. qui 6. hoc tit. Ratio est, quia Jus Patronatus est quid annexum spiritali beneficio, imò secundum se, & intrinsecè est jus quoddam spirituale, quippe tendens ad spiritua-lem præsentationis effectum non minus, quam jus eligendi, uti docui l. 4. tr. ult. c. ult. n. 61. ergo pretio temporali æstimari non potest.

**2** Cur autem Jus Patronatus accessoriè unà cum fundo, cui annexum est, vendi possit, uti docui in c. cum saculum 13. hoc tit. non autem per se, & seorsum, rationem dat *Abbas*, quia si Patronatus accessoriè vendatur, non venit in æstimationem, seu emptionem. Ex quo colligis, si ratione connexi Juris Patronatus fundus pluri vendatur, adeoque pars pretij detur pro Jure Patronatus, contractum irritum, & simoniacum esse quoad illam pretij partem. Veruntamen cum Jus Patronatus temporales aliquas commoditates per se pretio æstimabiles annexas habeat, quemadmodum & Ecclesiastica beneficia, & officia, ideò probabile est, horum venditionem, & emptionem irritam quidem esse spectato jure Ecclesiastico, atque per sententiam ita declarandum, prout hinc dicitur; attamen spectato jure naturali, & in foro conscientie, si per judicis sententiam contractus non rescindatur, eum, qui pro dato Jure Patronatus, vel resignato alteri beneficio pretium accipit, ad restitutionem non obligari, uti docui in cit. cap. ult. n. 82. & 83.

## CAPITULUM XVII.

## Nullus.

## PARAPHRASIS.

Decimas Ecclesiasticas, & quæcumque juris Ecclesiastici spiritalia sunt, Laicus sine Episcopi concessionem non potest conferre monasterijs, Sin autem Episcopus ob

improbritatem, vel avaritiã consentire velit, Romano Pontifici nuntietur, utrum ejus licentiã donatio fiat. Prior pars c. habetur etiam c. cum Laicis 10. c. cura 11. hoc tit.

## SUMMARIUM.

*Prælato negante licentiã irrationabiliter, ad eundem est ejus Superior intermedius.*

**N**Otandum unicum. Si Prælati à se positam licentiã, cum ratio utilitatis, aut necessitatis urget, irrationabiliter neget, ad eundem est ejus immediatus Superior. Ita *Innoc. hic, & And. n. 3, Barbosa n. 1*. Nec obstat, quòd hic ad eundem fuerint, non Archiepiscopus, sed Papa, quia Episcopus iste erat exemptus, uti testatur *Quarantia in Bullar. v. Archiepiscopi auctoritate 19, n. 21*. Sin autem Episcopus exemptus non sit, adiri possit Archiepiscopus, non ut Episcopi negligentiam supplendo, licentiã, & auctoritatem præstet (quia Metropolitani non supplet negligentiam Coepiscoporum, nec jurisdictionibus se immisceat, nisi in casibus in jure expressis, uti docui in *disq. de jurisdic. con. 80*.) sed ut Episcopus, quippe sibi subditum ad officium exequendum compellat, uti ibidem dixi, & tradit *hic Abbas n. 2*. Sin autem negotium subditum sit Superiori, & inferior, seu subordinata Prælati, vel officialis licentiã irrationabiliter neget, tunc adiri potest Superior, ut vel ipsemet licentiã det, vel intertunc adigat ad dandum.

## CAPITULUM XVIII.

## Significasti.

## PARAPHRASIS.

Si Episcopo hujus Diocesis post promotionem suam Ecclesiarum Patroni, sitarum in altera Diocesi, jus præsentationis in eisdem committant, nomine Cathedralis Ecclesie suae, tunc præsentati ab Episcopo

in Ecclesijs illis vacantibus, si idonei sint, admitti debent, & institui ab Episcopo alterius diocesis.

sin autem Titius presentans non fuit in possessione Juris Patronatus, institutum removeri posse.

## SUMMARIUM.

Episcopo alterius Diocesis Jus Patronatus ad Ecclesias in illius diocesi sitas, liberè quis donare potest.

**N**Otandum unicum. Episcopo, nomine Ecclesie suae, Patronus Jus Patronatus erga Ecclesias in aliena diocesi sitas, liberè donare potest, sin autem Episcopo, vel alteri Clerico non ratione Ecclesie suae, sed ratione personae talis Jus Patronatus donaretur, Diocesani consensu opus foret. Ita *And. hic n. 2. & dixi in c. insinuatione 14. hoc tit.* Quærunt hic *Hofst. And. & Abb.* quid dicendum, si patronus Jus Patronatus Episcopo donet ratione Ecclesiarum suae Diocesis? Respondetur, quòd in hoc casu confunditur presentatio cum institutione, & idèd collatio, seu provisio Ecclesie libera efficitur: praterquam si alius sit Compatronus, tunc Episcopus cum ipso presentabitur Patronus; instituet autem, ut ordinatis Diocesanus. *Argum. Leg. 3. ff. de Adopt.* ubi docent DD. quòd in jurisdictione voluntaria aliquis duarum personarum vicem subire possit.

## CAPITVLVM XIX.

## Consultationibus.

## PARAPHRASIS.

Clericus in Ecclesia ab ordinario institutus fuit ad presentationem Titij, quòd crederetur esse patronus, postea verò Laicus ab eodem evicit Jus Patronatus: in iudicio quæsitum est, an institutus ab Ecclesia removeri debeat. Respondet *Alexan. III.* distinguendo, si Titius tempore factae presentationis fuit in possessione Juris Patronatus, Clericum institutum removendum non esse, cum illi, ad quem Jus Patronatus de jure pertinet, nullum in posterum præjudicium fiat;

## SUMMARIUM.

1. Valet presentatio facta ab eo, qui in possessione Juris Patronatus est.
2. Si tamen ab eo fiat, qui verus quidem patronus est, non est autem in possessione Patronatus, valida quidem est, si nemo alius est in possessione.
3. Presentatio facta a male fidei possessore, si hujus mala fides constat, an rescindenda?
4. Institutio, sine legitima presentatione facta, petente Patrono rescindi debet.

**N**Otandum primum. Valet institutio Clerici, quæ facta est ad presentationem ejus, qui erat in possessione Juris Patronatus, & credebatur esse Patronus, licet verè patronus non fuerit. Idem de electione habetur *inc. querelam 24. de elect.* ubi *Glossa v. super jure* ait, si oppugnetur electio, eò quòd jus eligendi non spectarit ad electores, quòd sufficiat probari ab electo, illos fuisse in possessione juris eligendi: ratio est, quia actus presentationis, sicuti & electio, est veluti fructus quidam Juris Patronatus aut juris Capitularis, cum itaque possessor bonae fidei in ordine ad fructus absumentos veluti dominus reputetur, adèd, ut si postea verus dominus resciat, fructus non exstantes restituere non teneatur, uti explicavi *lib. 3. tr. 2. c. 3. n. 4.* Necesse autem est, ut is, qui Clericum presentatum instituit, aut electum confirmat, bona id fide agat, ratus, jus competere presentantibus aut eligentibus *argum. hujus c. v. credebatur.* Hinc infert *Abb. n. 9.* si ordinarius post presentationem bona fide factam & receptam Jus Patronatus ad alium de jure spectare resciat, quòd institutionem facere non possit, quia proprietates cognita absorbet causam possessionis *c. cum dilectus 6. de causa possess.* Deinde necessarium est, ut, qui præ-